

G D B A

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA CIRCULARIS
DE
TEMPERAMENTIS,

PRAESIDE

JOH. GEORGIO à BERGEN,
MED. DOCT. ET PROF. P. ORD.

FAC. MED. h. t. DECANO

D. XIX. JANUAR. A. MDCCXXXVII.

IN AVDITORIO MEDICO
publice defendet,

DAVID BARNWASSER,

Bütovia Pomeranus, Med. Studios.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,

Literis, PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.

Q. D. B. V.

§. I.

De doctrina Temperamentorum tantum abest, ut in Medicina sit inutilis, mere superflua, vel plane falsa, quod præter P. Ammannum inter Medicos alii temere afferere ausi sunt, ut potius tam in theoria, quam in therapia morborum, & summae utilitatis, & maxima necessitatis sit, & quidem in illa, quod pro temperamentorum diversitate, certa morborum signa se fere medentibus fiant, morbum distincte indicantia, in hac vero, quod in morborum curatione, remediorum temperies certum semper respectum habeat necesse sit, ad morborum intemperiem, hisce scilicet oppositam, vel efficaciter corrigendam, vel pro medentis intentione rite evanescandam. Tacemus, quanti exacta haec temperamentorum notitia valoris & præstantiae sit, in hominum variorum, populorumque diverorum moribus, ut & animalium inclinationibus, rite explorandis ac pernoscendis, quam rem pridem jam præ multis aliis Præstantissimis Medicis, Excell. Frid. Hoffmannus, in Dissertatione de temperamento, morum & morborum fundamento exposuit luculentissime, quorumque cognitione Medicus utique carere nequit.

§. II.

Temperamentum a verbo temperate, eoque ipso, quod temperamentum audit, suam denominationem accepisse videtur, idque, quoniam in universum partium plurimarum diversarum, totum constituentium intimam, & cuiusvis rei proportionatam commixtionem atque unionem involvit atque requirit, liquido patet, temperamenta non in rebus simplicibus & elementaribus, sed tantum in rebus omnibus mixtis spectanda esse.

§. III.

Res mixtae igitur quum inter se varient, ac in res inanimatas, seu merae corporeas, numero multiplices & substantia sua diversissimas, & animatas, seu vivas, dividi soleant, duplii itidem ratione

ratione temperamenta passim considerantur, vel sub titulo temperamenti mixti vel vivi. Prius cum universa latissime patente ejus doctrina pertinet ad Physicum, rerum naturalium omnium indefessum scrutatorem. Posterius paulo specialius ad Forum trahitur Medicum, quia sine perfecta ejus notitia Medicus exactam Corporis humani, circa quod versatur, cognitionem, habere nequit, quapropter & nos de temperamento, speciatim corporis humani, vivi, eum in se activi, exclusis aliis rebus inanimatis mixtis, qua fieri poterit brevitate, acturi sumus.

§. IV.

Dum vero temperamentum genuino sensu & significatu suo mixtum semper ex multis iisque valde diversis particulis, suaque sic temperie constans compositum, corpus denotat, antequam veram & adaequatam Temperamenti vivi definitionem demus, dispicere primum convenit, ex quibus quamque diversis partibus corpus humanum vivum compositum atque coagmentatum sit.

§. V.

Partes Corporis H., idque vivum constituentes Medici communiter dispeccunt in solidas & fluidas. Solidarum notabilis in homine perfecto est varietas, aliis rigidis, aliis flexilibus, aliis mollibus & sequacibus magis existentibus, omnibus ex fibrarum subtilissimarum mirifica textura, stratis sibi super incumbentibus, lamellis & membranulis arctius inter se compaginatis, fibrarumque modo laxiori, modo strictiori ordine & nexu; his autem ex fluido vasis contento secretis & vi vita & ope glutinis tenuissimi aquosi pinguisve sibi mutuo applicatis, sive productis singulis, quæ demum pro varia vietutæ etatisque ratione debitam & machinæ convenientem consistentiam adipiscuntur.

§. VI.

Fluidarum partium non minor, sed longe major est disparitas, prouti corpori sunt utiles & ad ejus conservationem necessariae, vel plane inutiles & excrementitiae, suis quæque peculiaribus organis,

a benignis succis seceriendæ, & e corpore excernendæ, vel
denique ad sensum inter se consistentia, crassi, colore, odore,
sapore, puritate summopere diversæ sunt, quæ differentes qua-
litates ab una eademque causa proficiunt nequeunt, quasque,
ut sanguinem, serum, lympham, chylum, salivam, bilem, suc-
cum pancreaticum &c. longa serie enumerare parum attinet,
sufficit humores hos ex plurimis diversæ substantiæ,
molis, figuræ, gravitatis & levitatis particulis, scil: aercis,
volatilibus, fixis, salinis, oleosis, aquosis, gelatinosis, fibrosis,
terrestribus & aliis plurimis componi, ac inter se proportionate
mixtis homogeneum liquorem vi temporamenti mixti referre.

§. VII.

Recensitæ hæ partes dum corpus humanum constituant
vivum, ea conditione & lege inter se connexæ ac intime con-
junctæ deprehenduntur, ut in se constanter mutuo agant &
reagant, fluidæ scilicet in solidas, & solidæ vicissim in fluidas,
quæ reciproca illarum actio & reactio, quamdiu proportionate
perennat, neutraque pars modum actionis suæ excedit, vel in ea
deficit, vegetum & sanum corpus optimo gaudet temperamento,
statim vero ac alterutrius intuitu contrarium accidit, læsa sanitatem
corpus morbidum & languidum evadit. Dependetque fluida-
rum partium actio, etiam a primo generationis, vita motusque
momento unice a fluidorum causa, & communi quasi motore scil:
materia mundi subtilissima ætherea, partim a virtute solidarum
elastica contractili, prior namque uti per omnia diffusa est,
cuncta velociter trajicit & replet, ita succorum particulas rapi-
disimo motu in omnes dimensiones intra vasa versat, atterit,
dividit, subtilisat, intime miscet & rarefacit, ut vasa insigniter
dilateantur; posterior vero pro ratione elateris motu restitutions,
quo vasa per vices iterum se contrahunt, fluidorum partes in se
intime cogit, comprimit, ac per vasorum canales propellit, adeo,
ut inde uterque fluidorum motus & intestinus & progressivus
perpetui restauretur, & fluida sic impulsa in circulum per totam
corpus jugi motu agantur.

§. VIII.

§. VIII.

Cum his mutuis partium prædictarum actionibus & reaſtio-
nibus vita animalis primum incipit, & per multorum annorum
decurſum conſtanter perennat, quare in rite deſcribendo vivi
corporis temperamentu rei ipsius neceſſitas exigit, ut illarum
omnium accuratam etiam hic habeamus rationem, quum nec
fluidæ partes, cum motibus suis ſeorsim ſpectatæ, quod cum
Galeo veterum plurimi quidem, licet perperam, exiſtimabant,
nec solidæ ſuo impulſu ſolitaria ſamp̄x temperamentum for-
ment, ſed omnes ſimul cum motibus suis, in quibus vita animalis
ratio conſiſtit, conſideratæ id re ipſa conſtituant.

§. IX.

Definiſimus igitur in genere temperamentum vivi, quod ſeit
ſit, harmonica omnium, corpus vivum conſtituentium partium
habitudo, harumque actionum ad ſe invicem mutua relatio, quā
fluidæ mobilitate debita, & proportionato turgescentia impetu
in ſolidas agunt, & vicifim hæ requiſita textura continuo in fluidas
feruntur, eas impellunt, atque hoc paſto toti machinæ nul-
lum inferunt damnum, ſed rite procedentibus inde omnibus na-
turalibus diſtentionibus, ſecretionibus & excretionibus idem in
optimo sanitatis ſtatu conſervant.

§. X.

Ex hac vera definitione, primo statim intuitu patet, veterum
plurimos alienum & plane erroneum conceptum de tempera-
mentis ſibi formasse, hæc quidem ſufficienter agnoſcentes, ſed
eadem in rebus extraneis perperam quærentes, horumque fun-
damentum in hiſ truſtra collocantes; ſicut credula nimis
gens Judaica in Cabala de Philoſophia Moſaica, quatuor
diſtinēta temperamenta, a quatuor paradiſi ſluviis com-
menta eſt; ſicuti Philoſophi etiam antiquiſimi in doctrina
elementorum maximopere inter ſe diſſentiant, aliis aquam,
aliis ignem, aliis terram ſimpliciter, aliis terram & ignem pro-
temperamentorum fundamento & primario principio vendi-
tantibus, qui immo præter hos ex Democriti & Epicuri ſecta

per atomorum numerum plane imensum, temperamenta hæc clarissus exponere porro tentarent, licet spisioribus semper tenebrarum næbulis potius involverent, donec cum Philosophia Peripatetica ex quatuor Aristotelis elementis, igne, aere, aqua & terra; horumque primis sic dictis qualitatibus, calido, frigido, humido & sicco, quatuor distincta temperamenta ab ejus aseclis demum tradi & per plurima secula pro talibus haberi cœperint.

§. XI.

Quibuscum postremo nunc comparanda adhuc venuunt Cl. Galeni ex efficto humorum suorum quaternione profecta quatuor temperamenta, scil. sanguineum, Phlegmaticum, Biliosum & Melancholicum, de quibus licet integrum satisque proximum librum posteritati reliquerit, eidemque multa aliena simul inseruerit, id tamen obtinuit, ut a recentioribus plerisque communii quasi consensu recepta, ac præ reliquis omnium diutissime in foro Medico hæc ad hæc usque nostra tempora retenta fuerint, non obstante, quod specialiter sic dicti ejus quatuor humores, tales in massâ sanguinea neque existant, neque reperiuntur.

§. XII.

Silentio autem hic brevitatis studio prætermittimus Helmontii cerebrinum dogma de suo, quem corpori affingebat humano, Archæo. Theoph: Paracelsi somnia, virtuë, sanitatis & morborum causas elementa sua chymica constituentis, ut & Chymicorum principia, tam activa, ut sal, sulphur & Mercurium, quam passiva, ut aquam & terram, quibus quidem, ceu principiis Artis, suum in chymica arte locum & utilitatem ultro concedimus, nullatenus autem principiis physicis aut Medicis illa ceu in se principiata annumeranda esse censemus. Quo referimus quoque omni jure temperamenta astrologica, scil. temperamenti, Solare, Lunare, Martiale, Mercuriale, Joviale, Venereum & Saturninum, a planetarum in sublunaria fictio influxu deducta, sed jam pridem originis suæ vanitate a plerisque recentiorum etiam rejecta, quum opus haud sit e cœlo & diskitis firmamenti locis petere, quæ in nobis ipsis reperiuntur.

§. XIII.

§. XIII.

Quantumvis vero quaternarius Galenicorum temperamentorum numerus a recentioribus quodammodo admissus, nec plane ab his rejectus sit, nullatenus tamen existimandum est, omnem temperamentorum differentiam hunc exhaustire, vel sufficienter exprimere; neque enim haec artis limitibus circumscribi, aut ad determinatum numerum vel species certas unquam reduci possunt. Sed potius, cum partes corpus humanum constituentes modis infinitis, craseos sc. texturae & motus ratione in singulis individuis differant, ac haec omnia pro diversa aeris, locorum, vietutis, aliarumque rerum conditione mire varient, consequi inde videtur, tam esse temperamenta, quot dantur ac reperiuntur individua. Nec alia subesse ratio videtur, cur haec quatuor temperamenta adeo constanter recentioribus placeant, quam quod quatuor Aristotelis elementa doctrinæ temperamentorum perquam comode applicarentur, tum etiam quod ipse Hippocrates, in hoc ipso quasi Aristotelem fecutus, iisdem elementis uti voluerit in describendis temperamentis, cuius autoritate deinceps inter Medicos præ aliis hanc prærogativam illa retulisse videntur.

§. XIV.

Dividuntur autem praedicta temperamenta communiter in simplicia & mixta, & haec iterum in temperamentum ad pondus, vel justitiæ, porro in temperamentum sexus & ætatis. Simplicia audiunt nimis: Sangvineum, Biliosum, Phlegmaticum & Melancholicum, quodlibet, ex potiore ingrediente, striete ita dicto, denominatum. Sed nunquam tale simplex in vivis reperitur, plerumque vero mixtum, scil. tale, quod ex simplicium unico & simul ex reliquorum uno vel altero ex parte constet, quale Sangvineo-cholericum, vel Sangvineo-Phlegmaticum. &c. Porro horum quocunq; convenienter saltim disposito, praeditus sit homo, vitam agere potest sanam, licet actiones & corporis & animi insigniter, inter homines diversi temperamenti discrepent; uti enim temperamentum intemperiei contra distinguitur, ita haec morborum, illud sanitatis signum est. Illorum optimum quoq; censetur Sangvineum, tale a statu mediocritatis, quo omnia in corpore fiunt, a non nullis non absone habitum, a quo statu dum reliqua non-nihil deflectunt, sangvineo postponuntur. Singula autem,

quum


qum propriis suis signis, scil. diverso corporis habitu, distinctis hominum actionibus & moribus, pro illorum diversitate sufficienter admodum ab aliis descripta extent, iis hic denuo recensendis brevitatis studio supersedemus.

§. XV.

Temperamentum ad pondus, tale scil. in quo omnes & singula corpus hum. partes constituentes, quotquot etiam fuerint, pondere inter se æquales sint, vix aut ne vix datur, nec quidem in subjectis concipi potest, quodcumquidem inde clare sequitur, præter temperamentum sexus, Deum ab initio creationis unicum saltem temperamentum creasse, quodcum hominum actiones in omnibus ubique forent eadem, quod nihilominus horum diversitati quam maxime repugnat. Neque temperamentum aliud scil. justæ nobis est, quam quod ex data nostra definitione fluit. Temperamenti porro differentia pro varietate sexus adeo Medicis clare jam perspecta, ut ex solo fine, quo uterque conditus est; luculentissime pateat, foemellarum temperamentum, præ illo marium, sanguineum magis, humidum & frigidum, horum vero minus sanguineum calidum & secum esse, id quod partim generationis negotium, partim quo foemelle etiam præ maribus citius adolescerent, requiri videbatur, quæ pluribus quidem illustrari possent, nisi paginarum angustia id ipsum prohiberet; Tandem ad differentias temperamenti ratione ætatis spectandas accedentes, illas non tam pro speciebus veris, quam variis incrementi decrementi & perfectionis gradibus saltim habemus, quos juniori etiam ætate, facta in primis diaeta, vita, loci, aeris, cœli insigni commutatione, mutari subinde posse, perspicillimum habemus.

§. XVI.

Postremo causas temperamentorum brevibus adhuc investigaturi, non alias admittendas esse censemus, quam quæ a primâ statim in utero fetus generatione & formatione arcessere licet, temperamentum enim a parentibus in liberos propagari, ac temperamenti & incrementi corporis communes esse causas, noto notius est; quibus tamen subinde symbolam suam conferre posse res multiplices externas, præcedenti §. docuimus.



01 A 6515

ULB Halle
002 932 091

3



WPA

635



Q. D. B. V.
DISPUTATIO MEDICA CIRCULARIS
DE
TEMPERAMENTIS,
QVAM
PRAESIDE
JOH. GEORGIO à BERGEN,
MED. DOCT. ET PROF. P. ORD.
FAC. MED. h. t. DECANO
D. XIX. JANUAR. A. MDCCXXXVII.
IN AVDTORIO MEDICO
publice defendet,
DAVID BARNWASSER,
Bütovia Pomeranus, Med. Studios.

FRANCOFVRTI AD VIADRVM,
Literis, PHILIPPI SCHWARTZII, Acad. Reg. Typ.